



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 29. Martyrium S. Apollonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Sæculum II.
A. C. 180.

Ibid. c. 14.

Lib. V. c. 32.
33. &c.

ceptum sit, sed etiam malis cogitationibus, verbis inutilibus, & irrisoriis. Bis S. Justinum adducit his verbis: *Bene dixit Justinus in suo Tractatu contra Marcionem: ipsi Domino non credidissim, si alium Deum, quam Creatorem annuntias-* set. S. Irenæus, sicut S. Justinus, in opinionem Millenariorum delapsus erat, dum clare docet, Sanctos mille annis cum Jesu Christo post primam resurrectionem, & ante extremum judicium in terra regnatos; nempe auctoritate quorundam veterum, qui hanc Traditionem reliquerant, quos inter Papias fuit, captus est; cumque, quantum posset, ab explicationibus allegoricis, quibus hæretici, quos oppugnabat, fundabantur, vellet recedere, in alterum incidit extremum, dum quorundam tam veteris, quam novi Testamenti locorum sensui litterali plus justo inhæsit, ubi Ecclesiæ gloria, aut æterna felicitas sub diversis sensibilibus rerum figuris repræsentatur. Hæc notatu dignissima in Tractatu S. Irenæi contra hæreses nobis visa sunt.

§. XXIX.

Martyrium S. Apollonii.

Eus. V. hist.
c. 21.

Sub Commodi Imperio Ecclesia in toto mundo profunda pace fruebatur; favente itaque occasione multi Romani nobilitate,

bilitate, & opibus præcipui cum suis do-
 mesticis, & propinquis fidem amplecte-
 bantur; ex illorum numero fuit Apollo-
 nius Senator, litterarum, & Philosophiæ
 fama illustris; delatus fuit ab uno man-
 cipiorum suorum nomine Severo, qui de-
 lationem hanc secundum mandatum
 M. Aurelii Imperatoris, quo accusare
 Christianos tanquam Christianos vetaba-
 tur, morte luit, nam Perenni Prætorii-
 norum Præfecto sententiam ferente, cru-
 ci affixo crura confracta sunt; at postea
 Perennis Apollonium rogavit, ut coram
 Senatu Religionis suæ rationem expone-
 ret, fecit ille, & orationem præcellen-
 tem, qua se Christianum esse clare pro-
 fitebatur, & Christianam Religionem ar-
 gumentis tuebatur, in Senatu prælegit;
 cumque Romanis mos esset inviolatus,
 nulli Christiano, qui semel in iudicio ste-
 tisset, parcere, nisi fidem mutasset, Sena-
 tus decreto capite plexus est. Id con-
 tigit anno octavo Commodi. JESU Chri-
 sti centesimo octogesimo nono.

Sæculum II.

A. C. 189.

*Hier. Scrip.**Euf. in Chro.*

An. 191.

An. 189.

§. XXX.

Successio Episcoporum. Serapion.

Anno JESU Christi centesimo octogesi-
 mo quinto e vivis excessit Papa Eleu-
 therius, cui succedens Victor annis duo-
 decim sedit. Julianus Episcopus Ale-
 xandrinus fatis cessit anno centesimo

Euf. V. hist.

c. 22.

S s 5

octo-